

456 ANALECTA HASSIACA.

Ac ideo summe necessarium foret, ut inter omnes Reges, Principes ac Ordines, qui projecto Papistica tyrannidis jugo, veram amplectuntur religionem, ejusmodi quaedam unanimi consensu inirentur rationes, quibus non solum vera nostra religio pura, sincera & absque prophanatione retineri, verum etiam propagari, & si quid Adversarii ad ejus extirpationem injusta vi tentarent, quo pacto violentis hisce conatibus legitima defensione obviari possit. Etsi autem nos hac in re nostro non defuturi essemus officio, dummodo ceterorum quoque Ordinum ac Statuum, si non omnium saltem quorundam ex illis, de quibus S. V. Legatis significavimus, eadem voluntas esset. Quia vero, quemadmodum S. V. pro sua prudentia facile intelligere potest, opus hoc non solum propter locorum intervalla ac itinerum distantiam admodum laboriosum ac diuturnæ actionis, verum etiam ob varias hominum sententias ac differentes animorum sensus difficilis fortasse impetrationis futurum esset, omnes Christianæ religionis Reges, Principes, Ordines, Status, Civitates ac Respublicas in ejusmodi confederationem perducere: Præterea ejusmodi communis & publica confœderatio, illis qui